



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio LXXXIV. De Capitularibus residuum suæ Cassæ volentibus inter se
dividere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS XI.

De His, quæ fiunt à Majori parte Capituli.

DECISIO LXXXIV.

De Capitulo, Statutum facere cupienti, vi cujus liceat Capitularibus dividere inter se, quod solutis singulorum stipendiis residuum manet in Cassa Capitulari.

SPECIES FACTI.

In quadam Ecclesia (seu Cathedrali seu Collegiata) valde amplos reditus annuos colligit Cassa Capitularis, ita ut, postquam constituta antiquitus & per immemorabilem consuetudinem confirmata stipendia Canonico- rum, ad congruam illorum sustentationem sufficientia, persolvit, aliâque onera præstitit, notabilem adhuc summam capiat & faciat residuam, quæ à multis retro annis plurimum au- cta, & secundum veterem consuetu- dinem in casus fortuitos & publicas Ecclesiæ necessitates asservata est, ac hodie asservatur, ne forsan eveniente calamitate, aut casu, cui non nisi paratâ pecuniâ occurri posset, ex- haustio ærarîo Capitulum cogatur se se alieno ære non sine magno dispendio

P p p 2

QUÆ-

Q U Æ S T I O.

An Canonici Capitulares (vel saltem major illorum pars) possit statuere, ut Massa pecuniaria huc usque in communi arario Capituli asservata, vel saltem annui census, qui ex hac pecunia elocata colliguntur, dividantur æquis partibus inter Canonicos presentes?

Rationes Dubitandi.

PRIMA fronte in affirmativam propendere quis posset ex his rationibus. I. Est in potestate Capituli etiam Sede plena condere statuta sine consensu Episcopi de iis rebus, quæ suam Communitatem vel Collegium concernunt, & circa negotia, quæ solos Canonicos concernunt, v. g. quoad modum dividendi fructus & distributiones quotidianas. Glossa in c. 2. v. statutum de V. s. in 6. Barb. de off. & pot. Episc. p. 3. alleg. 993. n. 26. Illustriss. L. Baro. Zeller Præpositus Cathedr. Eccl. Frising. Consil. 19. n. 76. allegans alios, & Rotam decis. 76. n. 1. p. 7. Recentior. modò statuta hujusmodi aliàs licita sint & justa, ac non concernant statum universalis Ecclesiæ, nec Episcopo præjudicent. Illustriss. Zeller n. 78. sed statutum de dividenda inter Canonicos massa Capitulari, vel saltem annuis censibus eidem provenientibus, concernit solam Communitatem & Collegium Canoniorum, nec præjudicat Episcopo, nec aliunde apparet illicitum vel injustum: ergo.

II. Capitulum saltem unà cum Episcopo potest restringere & suppressere

re præbendas, adeoque numerum Canoniorum, saltem si non sit iustus, aut specialiter confirmatus à Papa. arg. c. 8. 9. § 12. de Constit. Abb. in d. c. 8. n. 4. Zeller. cons. 20. n. 19, 20. & reditus sibi applicare. Confirmatur: Canonici possunt statuere, ut major sit Canoniorum numerus. c. 9. cit. ergo etiam statum possunt disponere, ut restringatur numerus Canoniorum; cum contrarium eadem sit ratio, & quod operetur propositum in proposito, operetur quoque oppositum in opposito. l. si. fin. ff. de legat III. ergo etiam, item cum Episcopo, potest reditus cassa superfluos sibi applicare, vel potius singulis Canonicis præferri præsertim cum hoc modo non minuitur cultus Divinus, sicut in suppressione præbendæ, per quam minuitur numerus ministrorum Ecclesiæ.

III. Licet ac valide Episcopus cum consensu Capituli applicat suæ mensuræ fructus Beneficiorum vacantium. Gloss. in c. un. ut Eccles. Benefic. diminut. V. Capitulo. § in c. si propter V. concedimus de Rescr. ergo etiam licet ac valide Capitulum cum

Consilio Episcopi applicat sibi fructus in
sua causa superfluos, eò magis, quòd
alteri non sint debiti, uti tamen fru-
ctus Beneficiorum vacantium de Jure
debetur Successori. Confirmatur;
Episcopus unà cum Capitulo potest
integram Ecclesiam applicare Religio-
sis, ut hi illam convertant in usus pro-
prios, per c. Consultationibus. Et c. Pa-
pazali: de Donat. ergo & integram
massam pecuniæ Capitularis Canonici,
ut eam in usus proprios conver-
tant.

IV. Cassæ Capitularis pecuniæ om-
nes, utpote ad mensam separatam
Capituli destinata, sunt in dominio
ipsius Capituli: atqui penes Dominum
est libera dispositio in proprium com-
modum; hæc est enim natura & de-
scriptio domini pleni: ergo Capitulum
liberè potest de his pecuniis dispone-
re in proprium commodum, nullo alio
etiam requisito.

V. Si penes Capitulum non esset
facere statutum, vi cuius liceret inter
se dividere pecunias suæ cassæ Capi-
tularis, aut annuos saltem illius cen-
sus, tunc vel ideo I. quia condere statu-
tum est actus jurisdictionis, qua ca-
ret Capitulum vivente Episcopo. vel
II. quia non omnes consentiunt, sed
aliqui ex Canonici discrepant: statutum
verò, quod singulos ut singulos Ca-
nonicos vel membra Capituli concer-
nit, uti esset istud, non valet, nisi
omnes & singuli consentiant, nec
sufficit, quòd major pars conspiret.
c. quod omnes de R. J. in 6. arg. c. 6.
de constit. Et l. per fundum ff. de servit.

Rust. vel III. quia Capitulum in re pro-
pria, ac in utilitatem propriam autho-
rizaret suum factum, dum Canonici,
qui Capitulum constituunt, ex hac
massæ divisione caperent emolumen-
tum ingens, quod est prohibitum
Clem. 2. de reb. Eccles. alien. ubi
Episcopus etiam cum consensu Capituli,
qui ad unionem requiritur, Ecclesiam
unire prohibetur suæ, vel Capituli
mensæ ob rationem, ne vel Episco-
pus, vel Capitulum, auctoritatem præ-
staret in facto proprio, & quasi in
propria causa. Sed nihil horum ob-
stat. Non primum; quia solum illa
statuta requirunt jurisdictionem in sta-
tuente, quæ respiciunt decisionem
causarum, vel ligant alios tanquam
subditos ad aliquid faciendum vel o-
mittendum, non verò illa, quæ respi-
ciunt universitates ipsas & negotia
propria; nam certum est, universitates
omnes facere posse statuta circa negotia
ad eas pertinentia. per l. omnes populi &
ibi Bart. ac per l. receptitia inf. Et ibi gl.
C. de constit. pecun. & tamen non o-
mnes universitates jurisdictionem ha-
bent. per l. si duas. §. est autem ff. de
excusat. tutor. Deinde saltem Episco-
pus habet jurisdictionem: ergo, si iste
ad tale statutum concurreret, non
deesset jurisdictio in statuente. Non
secundum; quia dispositio Juris con-
sensum omnium & singulorum requi-
rentis in & pro casu, quo res con-
cernit singulos, solum procedit de
casu, quo aliquid statuitur in præju-
diciu singulorum. arg. l. quoties Et
l. itinere ff. de usufr. non verò, ubi
P p p 3 agitur

agitur de actu favorabili, qualis esset statutum, de quo loquimur, per l. *§ suum heredem. §. fin. cum l. seq. ff. de Pañis. Zeller d. conf. 19. n. 1. 2. §. 4.* Non denique *tertium*; quia hic non agitur de commodo & utilitate ipsius Capituli quàm Capituli & Universitatis, quod solum prohibetur in *d. Clem. 2.* Sed de commodo singulorum de Capitulo: & hinc, ubi ab Episcopo cum consensu Capituli supprimitur aliqua

præbenda, ejusque redditus applicantur singulis Capitularibus ut singulis, non ut universis, seu ut Capitulo unum corpus constituenti, valet applicatio, ut subtiliter cum Imol. Dec. Balth. Gratiano, Garc. & Gonzal. in Reg. *Cancel. Glossen. 37. n. 24.* observat Pyrrhus Corrad. in *praxi Beneficiorum l. 2. c. 8. n. 87. seqq.* adducens & applicans Trid. *s. 24. c. 15. de ref. & declarationem S. Congreg.*

Rationes Decidendi.

VERUM re penitus inspecta in negativam inclino, & tenendum censeo, Canonicos non posse pecuniam suæ Cassæ Capitularis, post persoluta sibi stipendia ad congruam sufficientiam, & alia onera præstata residuam, aut annuos census ex illa elocata provenientes invadere, sed teneri & hos & illam asservare ad avertendas communes Ecclesiæ & Capituli sui necessitates, pro fabrica v. g. aut belli, incendii, aliisque casibus fortuitis. Idque ob sequentia rationum & jurum momenta.

I. Omnes res vel à Fundatoribus vel à Superioribus Ecclesiasticis, vel per consuetudinem Ecclesiis, attributæ, sive sint fundi & res immobiles, sive fructus & redditus, sunt in dominio ipsius Ecclesiæ, vel ipsius Dei, sicut à Concil. Trid. *Sess. 25. c. 1. de ref.* vocantur *res Dei*, non in dominio Prælatorum, Clericorum, Canonicorum, aut Beneficiorum (ex-

ceptis tamen probabilibus iis redditibus, qui ad illorum sustentationem modo designati, sed etiam actualiter ex massa communi jam extracti & Ecclesiæ ministris extrahiti sunt) ut & DD. in *c. 2. de donat.* ibi: *Ecclesiasticarum rerum procurator, non dominus.* Sed nemo potest rem non suam invadere, & sibi applicare; ergo

II. Quamvis Prælati & Capitularum suæ Ecclesiæ vel Capituli *ministratores* sint, vel, ut *d. c. vocat procuratores*, hæc tamen potestas ministrandi non est tam libera, ut illis validam facere donationem, vel alio modo, quàm Jura permittunt, aut fundatores velint, aut consensu declararet, disponere possint; tanta enim est potestas ministrandi vel procuratorum, quanta vel à Jure vel ab homine vel ab illo, cujus sunt bona, noscitur esse concessa, ut est constans DD. consensus, & ratio est manifesta, quia res alienas

tererogare, quàm velit Dominus &c. furum potius vel rapina est, quàm administratio. §. 1. *Inst. de Oblig. que ex delicto*. l. 48. §. 3. ff. de furtis. §. 1. *Inst. de l. 2. seqq. ff. de vi bonor. rapin.* Sed nec *Jura Canonica* permittunt res Ecclesiæ vel Capituli aut fructus, ultra determinata stipendia ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ ordinata redundantes, applicari in lucrum vel Prælatorum, vel Canonicorum; eò quòd superexcrecentes redditus pro augmento Præbendarum de novo fundandarum, ut inde cultus Divinus augeatur, & in communes usus, non in utilitatem privatorum, applicari jubeant. c. *cùm M. 9. de Constit.* Mich. Ant. Frances. de *Ecclesi. Cathedralib.* c. 8. n. 291. & alii passim. Et Canonicis solum debentur alimenta. per c. *de bis. de Ecclesi. edific.* nec aliud concedunt *Fundatores*, quorum intentio non erat locupletare privatos Canonicos, sed cultum augere Divinum, & fructus ultra illorum sustentationem competentem residuos asservari pro futuris Ecclesiæ necessitatibus, ut non solum præsumptio, cùm non omnes proventus mensæ Capitulari destinati Canonicis consignari voluerint, sed etiam antiqua declarat *consuetudo*, vi cujus nunquam hæctenus ærarium Capituli, vel census annui ex pecuniis ejusdem elocatis, in prædã vel utilitatem singulorum Canonicorum per divisionem cesserunt, sed asservati sunt. Unde fit argumentum speciale

III. Capitulum non potest statuere

contra Jus, etiam accedente Episcopi auctoritate. per *can. Institutionis caus.* 25. q. 2. c. *super his, de Majorit.* §. *Obed.* & ibi Abb. n. 1. Felin. n. 2. Jo. Andr. n. 4. ergo neque contra receptam consuetudinem, nisi necessitas suggerat contrarium (qualis hic non reperitur, cùm Canonici aliunde habeant honestissimam sustentationem, ut dicitur) quia consuetudo est Jus, & observanda dicitur, sicut Jus. *can. in his d. 11. §. c. consuetudinis de consuet.* Atqui in hac Ecclesia viget consuetudo, eaque longissima & immemorialis, massam capitularem post perfoluta stipendia servandi illæsam, & census annuos eidem adjiciendi, nec scitur ullum exemplum, quòd vel illa vel isti inter præsentem Canonicos fuissent divisi; ergo. Id quod roboratur

IV. Canonici omnes in sui admissione ad gremium Capituli jurare debent, & etiam moderni jurârunt, quòd velint servare laudabiles Ecclesiæ suæ consuetudines: sed consuetudo asservandi pecunias, semel cassæ adjectas, & census eidem obvientes, est utique & extra controversiam laudabilis, utpote spectans honestissimum finem, ut inde nimirum occurratur futuris necessitatibus, fortuitis casibus, fabricæ, vel ut comparantur ornamenta Ecclesiæ, aut pretiosiora ad rem Divinam peragendam paramenta, vel ut novi Canonicatus fundentur, & sic augeatur cultus Divinus, vel ut, ubi fortè mutatis temporum circumstantiis bona ad congruam singulorum ordinata non amplius

plius sufficerent, illa augeri possit &c. Ergo & moderni Canonici obligantur hæc bona Capituli communia ulterius conservare vi juramenti, nec possunt sine perjurio consentire in divisionem aut distributionem illorum in privatam singulorum utilitatem; cum omne juramentum sit servandum, quod absque peccato, & præjudicio tertii potest servari. c. 8. § c. 28. de Jurejur.

V. Nequit Capitulum immutare statum Ecclesiæ, & hoc ideo, quia inde induceretur alteratio Ecclesiæ, communia Capituli bona distinguere per præbendas. Petr. de Anchor. in c. cum omnes de constit. Illustriss. Zeller Conf. 19. n. 76. § 86. aut minuere numerum Præbendarum, nisi tale statutum in forma speciali confirmetur à Summo Pontifice. c. 9. de constit. c. 9. de consuet. Gonzal. ad c. 12. de constit. n. 7. cum aliis; quia inde induceretur diminutio cultus Divini, quod Jura prohibent. c. ad hæc de præb. ergo neque poterit Capitulum communia sua bona distribuere inter Canonicos privatos, & præbendarios, aut minuere redditus cassæ communis, ex quibus conservari contra casus fortuitos debet numerus Præbendarum, vel etiam augeri cum tempore potest.

VI. Nullus apparet titulus, quo honestetur divisio Massæ communis inter modernos Canonicos, & ut isti absument vel lucrentur, quod Antecessores tam sollicitè & per tot annorum œconomiam comparserunt; nec enim alia aut majora aut plura præstant

Ecclesiæ obsequia, quæ sola sunt titulus & causa percipiendi redditus ab Ecclesia, quàm antiqui. Nec apparet prudens ratio, ob quam illi collectum ab Antecessoribus thesaurum & novum Capituli subtrahant Successoribus, cum convertendo in proprium usum. Planè alia vix est asserenda causa, quàm cupiditas habendi & descendendi ex bonis & thesauro Ecclesiæ absque ullo merito. Unde

VII. Ad alienandas res Ecclesiasticas, etiam proventus, qui servari possunt, opus est justa causa, & necessitatis vel utilitatis, non singulorum Canonicorum, aut ministrorum, sed ipsius Ecclesiæ, præter consentit Sedis Apostolica. Extrav. Anselmi de reb. Eccl. alien. int. commur. Sed planè hanc divisionem massæ capitularis, vel annuorum ejus censuum, nec necessitas nec utilitas Ecclesiæ Capituli quæ talis, & ut est communitas & corpus Ecclesiasticum, potius exigit ulteriorem conservationem: ergo. Siquidem Capitulum quoad redditus & bona suæ Mensæ preparatæ plus non potest quoad contentum alienationem, quàm Prælati Ecclesiæ quoad bonâ suæ mensæ, & præ communibus legibus Ecclesiasticarum rerum alienationem vel distractionem prohibentibus adstringitur. Barb. in Canon. c. 42. n. 14. Card. Turch. in 1. lit. C. concl. 52. n. 1.

VIII. In c. ex parte 12. de constit. refertur casus, quod Canonici Eboracenses NB. propriis commodis obstantes restrinxerint antiquum præ-

bendarum numerum, & ex earum
proventibus suas præbendas auxe-
rit; sed horum attentato, licet fecif-
sent statum super hoc, Papa se op-
pedit, & irritum declaravit: ergo
neque aliis Canonicis permissum cen-
seri debet, ut, licet nullas præben-
das supprimant, in proprium commodum
res communes Capituli sibi attribuant;
licet enim proprii commodi studium
ad supprimendas præbendas, per quam
suppressionem minuitur cultus Divi-
nus, juxta Pontificem non sufficit,
ita nec sufficere ad Capituli res com-
munes invadendas, per quarum in-
vulsionem etiam imminui cultum Di-
vinum necesse est; eò quòd illæ res
ordinatæ sint ad bonum Ecclesiæ, cul-

tum Divinum per novos Canonicatus,
vel pretiosa paramenta, aut ornamenta
augendum, aut ad publicis necessita-
tibus occurrendum.

IX. Non est permissum Capitulo
sine consensu Sedis Apostolicæ solu-
tionem pensionis annuæ, etiam non
perpetuæ, reservatæ tamen in utilita-
tem Sacristiæ vel fabricæ Ecclesiæ ali-
quo modo imminuere, vel affrancare,
ut latè ac solidè probat Clericatus *de*
Pensionib. discord. 16. à n. 17. ergo
multò minus ipsi permissum est sibi
attribuere res, bona, redditus, vel
census annuos, eosque perpetuos,
massæ Capitulari communi, fabricæ,
vel bono Ecclesiæ destinatos.

Enervantur Rationes Dubitandi.

Hæ non multum stringunt. Ad I.
Negatur *Mm.* hujusmodi statu-
tum non solum concerneret Capitu-
lum, sed directè tenderet in bona
Ecclesiæ, vel bona Dei, imminuenda,
ad evacuandam Ecclesiæ cassam, &
replendam privatorum crumenam,
vel ad reditus *Fabricæ* (quo nomine
intelligitur non tantum materialis
structura Ecclesiæ, sed jus illud, quod
habet Ecclesia, percipiendi redditus tam
pro ædificio, quam pro ornamentis &
aliis necessariis ad cultum Divinum, ut
docet Communis cum Covarruvia in
6. de Testam. n. 4.) derivandos in pri-
vatorum loculos contra dispositionem
juris, intentionem Fundatorum, &
Majorum, ac immemorabilem consue-
(R. P. Pichler Decisiones.)

tudinem, propriumque juramentum.
Aliud foret, si ex cassâ Capitulari,
ejusque viribus, augetur numerus
Præbendarum, vel defectus congruæ,
quam Canonici ex aliis redditibus com-
petentem & sufficientem non habe-
rent, suppleretur; tunc enim Capitu-
lo, at simul cum Episcopo, non de-
negarem facultatem ad hujusmodi fi-
nem disponendi.

Ad II, *dist. antec.* potest restringere
& supprimere præbendas ex justa
causa. *C. ant.* absque justa causa. *N.*
ant. & cons. quia ad dividendam inter
Canonicos massam Capitularis cassæ
nulla vel à longè justa & rationabilis
causa apparet, sed sola potius cupi-
ditas quorundam privatorum. Porro

Q 9 9

uni-

unicam in Tridentino *S. 24. c. 15. de Ref.* & apud Auctores causam inuenio suppressendi præbendas, scilicet tantam reddituum diminutionem, ut sustinendo Canonorum decenti gradui pro locorum & personarum qualitate non sufficiant: quæ ratio hîc minimè datur. Nec sufficit præcisè talem diminutionem allegare, sed plenè illam probare oportet, ut resoluit Rota in *una Barcen. Beneficii 15. Nov. 1610. coram Ludovico Seraphin. decis. 1345. n. 1.* & aliàs sæpiùs Teste *Garcia de Benef. p. 12. c. 1. n. 2.* Illustris. *Zeller cons. 20. n. 31.* quia in dubio aucti potiùs, quàm diminuti præsumuntur redditus Ecclesiæ. *Angel. cons. 274. n. 4. in f.* & Beneficia per se præsumuntur præbere congruam sustentationem, *can. nemo dist. 1. de Consecrat.* Et hinc lata est disparitas inter augmentum præbendarum & suppressionem illarum: illud permittunt jura *c. cum M. de Constit.* ubi nimirum Facultates Ecclesiæ suppetunt, licet forsan numerus præbendarum esset à summo etiam Pontifice confirmatus. *Gonzal. ad c. ex parte 12. eod. n. 12.* ex ratione, quia cultum Divinum augere convenit: ista verò prohibetur extra unicum diminutionis proveniunt casum, eò, quòd per suppressionem minuatur cultus Divinus; quod nec ratio, nec *Papa in d. c. ex parte* convenire iudicat.

Ad III. Ferè est eadem responsio. Ut enim illa facere possit Episcopus cum consensu Capituli requiritur iusta & rationabilis causa, v. g. necessitas Episcopi, aliunde non habentis con-

gruam, aut unde solvat debita &c. vel magna Ecclesiæ utilitas, cuiusmodi requiritur in unione facienda. At in nostro casu nulla necessitas vel utilitas Ecclesiæ, sed inordinata privatorum cupiditas, exigit divisionem malitè pecuniariæ communis ærarii Capitularis. Unde negatur *consequentia.*

Ad IV. Negatur *Ma.* Ratio negandi patet ex prima Ratione Decidendi: Dein etfi penes Capitulum esse dominium reddituum castæ communitatis, illud tamen ad eò foret limitatum, ut non pro libitu de iis disponere possit, maxime in utilitate privatam, sed solum in usus pios & iusta causa necessitatis vel utilitatis convertere aut alienare deberet, ut in huiusmodi fines conservare, ut constat ex reliquis decidendi rationibus.

Ad V. Rursum negatur *Ma.* quia iuxta resolutionem probavimus ex aliis capitulis, non ex dictis rationibus, quoniam ultima non videatur omnino carere robore; licet enim tali casu Capitulum non autorizaret suum factum, & utilitatem Capituli quæ talis, & sic *de Rebus, Eccles. alien. non obstat.* spectata subtilitate Juris, re ipsa videtur pugnare eadem ratio in capitulis, quæ datur in universis, & Capitulum de rebus communibus tribueret singulis privatis absque iusta causa, præcisè ut abundarent magis temporalibus, cui intentioni obstat *c. ex parte cit.* aliàque Jura, Consuetudo, & ramentum, intentio Fundatorum Majorum usus.